



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Vtrum beatitudinem, quam acceperunt in confirmatione stantes,  
meruerunt per aliquam tunc appositam gratiam. G

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



stare possent, noluerunt quousque gratia apponeretur: sicut alii perstiterunt, donec illis cadentibus per superbiam eis gratia apposita est. Apertè ergo cadentium culpa in hoc deprehendi potest: quia sine gratia nequirent proficere quam nondum acceperant: per id tamen quod eis collatum erat in creatione, poterant non cadere, id est, stare: quia nihil erat quod ad casum eos compelleret, sed sua spontanea voluntate declinauerunt, quod si non fecissent, quod datum est aliis, utique daretur & istis.

*Quod angeli in ipsa confirmatione beati fuerunt: sed utrum eam meruerint per gratiam tunc sibi datam ambiguum est: de hoc enim diuersi diuersa sentiunt.*

*sa sentiunt.*

G

Hic quæri solet: Vtrum in ipsa confirmatione beati fuerint angeli: & an ipsam beatitudinem aliquo modo meruerint. Quod in ipsa confirmatione beati fuerint, plures contestantur auctoritates, & ideo pro constanter habendum est: Vtrum vero per gratiam tunc sibi datam ipsam beatitudinem meruerint, ambiguum est. Quibusdam enim placet quod eam meruerint per gratiam, quam in confirmatione perceperunt, simulque in eis meritum & præmium fuisse dicunt: nec meritum præcessisse præmium tempore sed causa. Aliis autem videtur quod beatitudinē quam receperunt in confirmatione per gratiam tunc appositam non meruerint, dicentes tunc non fuisse eis collatam gratiam ad merendum, sed ad bene viuendum: nec tunc eis datum esse bonum quo mererentur, sed quo feliciter fruerentur. Quod autem tunc in præmium acceperunt, per obsequia nobis exhibita, ex Dei obedientia & reuerentia mereri dicunt: & ita præmium præcessit merita: & hoc mihi magis placere

*Hic non tenetur.*

fateor.

V 5

QVOD